



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R. P. Christiani Mayer E Societate Iesv, Diarivm
Meditationvm, De Præcipvis Vitæ Christi mysteriis**

Mayer, Christian

Coloniæ Agrippinæ, 1635

4. De 6 Petitione: Et ne nos inducas in tentationem

[urn:nbn:de:hbz:466:1-60091](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-60091)

stituit, qua mensura nobis velimus misericordiam eius in dimittendis peccatis nostris exhiberi, eadem nimirum, qua nobis erga proximos placuerit in simili misericordia exhibenda vti.

O quàm stupescenda bonitas Deam liberaliter veniam tantorum debitorum vltro offerentis! Et quàm intoleranda immanitas hominis proximo condonationem exiguarum offensarum etiam petenti dare recusantis! Amor proximi, compassio, offensionum liberalis condonatio.

IV.

De 6. Petitione. *Et ne nobis inducas in tentationem.*

I. **E**Xpende quid Christus hinc nos petere doceat, videlicet 1. Non præseruari simpliciter ab omnibus tentationibus mundi, carnis, diaboli, sed ab ijs, quibus nos præuidet succubituros. 2. Non liberari omnino ab ijs, à quibus nos permiserit Deus pro inscrutabili sapientia sua impugnari, sed gratiam efficacem, ne expugnari nos sinamus, nobis suppeditari. 3. Non deprecari certum genus tentationum.

num, quod credere potest ad maius nostrum meritum, sed solum ne his, vel ullis alijs vnquam consentiamus. Quam perfecte id Christus præstiterit, pro nobis, & pro nostra instructione, B. V. alij sancti, omne gaudiū existimantes, si in tentationes varias inciderent. Magnanimitas, & promptitudo ad quasuis tentationes de manu Dei acceptandas.

II. Quomodo hæc petendæ sint, 1. Cum profundissima humilitate, & de viribus nostris diffidentia, agnoscendo nostram in superanda quauis tentatione imbecillitatem. 2. Cum filiali fiducia de diuina gratia nobis non defutura, implorando & sperando eius, qui non permittit nos tentari supra id, quod possumus, auxilium. 3. Cum absoluta resignatione in manus diuinæ prouidentia, conformando nos omnino eius voluntati, ut quando vult, & quomodo vult, & quamdiu vult, & quibus vult nos tentationibus pulsari sinat, & ab eisdem pro beneplacito suo vel præseruet, vel liberet, modo nunquam superari negligentia & culpa nostra permittat. Quam placet Deo tam heroica ad tentationum impetus susti-

Na s nendos.

nendos resignatio! quam displicet pusillanimis ad quemuis eorundem pulsum trepidatio! Perfecta resignatio in omni tentatione.

III. Cur Deus velit electos tentationibus exerceri. 1. Ad gloriam suam & potentiam gratiæ suæ clarius manifestandam, quam unitus fragilis homo ex se folium & stipula, aëreas potestates debellat, carnem domat, mundum triumphat. 2. Ad maius augmentum gratiæ electorum, qui per tentationes à peccatis commissis purgantur, à committendis præseruantur, in humilitate conseruantur, ad feruorem spiritus incitantur, in virtutibus radicantur, ad amorem Dei inflammantur, ad donum perseuerantiæ disponuntur. 3. Ad maius eorundem incrementum gloriæ, quæ tam gloriosis tot tentationum victorijs, tot heroicis virtutum actibus, occasione earum frequentatis, mirum in modum augetur. Quam verè ergo censendus beatus, qui meruerit tentationibus probari, purgari, illuminari, glorificari! Affectus
ijdem.